

Q. I. 12.

(X 1883933)



# ORIGINES NATIONUM

*Et præcipue*  
SAXONICÆ in TRANSYLVANIA,  
cum nonnullis aliis Observationi-  
bus, ad ejusdem jura spectantibus, e ruderibus  
privilegiorum & historiarum  
erutæ

*a*  
VALENTINO FRANCKIO.

---

Juxta exemplar Cibiniense anni 1696.  
recusæ

HELMSTADTII

Apud GEORG. WOLFGANG. HAMMIUM Acad. Typogr.

A. C. M DC XCVII.





*Ovid. Trist. Lib. II. eleg. I.*

Eximius patriæ est facta  
referre labor.





# Inclyto Magistratui S.



Regi vitam, urgent morbi, mors pul-  
 sat ostium, in publico multum desuda-  
 vi, feci pro gloria DEI & misera plebe; priva-  
 tum tamen commodum contempsi. Ne vero  
 negligens moriar, expressi ortum, & quædam  
 jura miseræ Nationis Saxonicæ, quæ hæctenus  
 in ambiguo fuerunt, & judicio multorum ob-  
 noxia. Brevis fui, nec sine ratione; viam interea  
 monstravi plura indagandi. Res est in plano:  
 & quæ scripsi, ubi intererat, defendi & de-  
 monstravi; quibus & in posterum inhæren-  
 dum. Interim, dum vivam, faciam porro  
 pro publico. Facite & vos, quibus Reipubli-  
 cæ cura commissa est, & salvate fidem, quo  
 DEUS vobis benedicat, & hîc longævam, tan-  
 dem vero æternam vitam largiatur. Quod ex  
 toto corde vovet, & optat

## VALENTINVS FRANCK,

Exc. Gubernii Regii in Transylv. Consil. Int<sup>mus</sup>  
 Sax<sup>cæ</sup>Nat<sup>nis</sup> Comes, & Civit. Cibin. Judex Regius.

*Peril-*





Perillustri & generosissimo Viro  
VALENTINO FRANCKIO  
A FRANCKENSTEIN,  
amico suo veteri & magno fautori

S. P. D.

JOH. FABRICIVS, D.

**P**Lacuit tibi, vir perillustris & generosissime, pro ea, quæ Altorfii, in Universitate Noribergensium, XXX. & amplius abhinc annis inter nos inchoata, & in hunc usque diem continuata est, amicitia, elegantem tuam *de Nationum, ac potissimum Saxonica in Transylvania Originibus Dissertationem* mihi transmittere. Idque eo factum est tempore, quo eadem de materia legeram in Henr. Büntingii Chronico Brunsvicensi & Luneburgensi p. 20. Nach Königs Arnolphi Tode/ welchen die Läuse gefressen haben/ hat Herzog Otto (pater Henrici Aucupis, Imperatoris) grosse Kriege geführet mit den Ungern: denn zu derselbigen Zeit fielen die Ungern in Bayern/ Schwaben und Sachsen/ und führeten derselbigen viel gefangen mit sich in Ungern. Derselben Sachsen Kinder und Nachkommen wohnen noch auf dem heutigen Tage in Ungern/ in Siebenbürgen/ und haben die rechte Sächsische Braunschweigische Sprache. A quo, quod originem vestram & linguam attinet, dissentit (sed quo jure, quave injuria, ipse videat) Cluverius in *Introduct. Geograph. lib. IV. cap. 8.* ita scribens: *Incolas (Daciae) ante Getas fuisse, tradit Plinius, Dacos postea a Romanis adpellatos. Getarum nomen mansit circa utramque Istri ripam. Regibus illi suis debebantur, donec Trajanus Imperator Daciam perdomitam in provincia formam redegit. Postea Sarmatae inveni, dein Goti, moxque Hunni. Post hos Saxones, Germanica gens, a Carolo M. devicti, cum leges victoris ferre nequirent, aut nollent, in universam Daciam transierunt. Hinc etiam num frequens, licet corruptus, in eis durat Germanicus sermo.* Non potuit igitur mihi non gratissima esse *Dissertatio* tua, argumentum originis Saxonum, qui sunt in Transylvania, cum singulari cura & studio evolvens. Ut autem, pro merito suo, in plurium manus perveniret, recudi eam hoc in loco curavi, & recusam jam tibi remitto, DEVM ter opt. max. venerans, ut inclytam Nationem Saxoniam, cujus insigne tu caput es, conservet clementissime, & nobilissimæ Transylvaniæ æque, ac aliis Europæ partibus, auream & constantem mox reddat pacem, suavissimamq; patriam consiliis tuis in multos porro annos recreet, nec prius te mortalitatem deponere patiatur, quam annorum & laborum satur, beatam ἀνάλυσιν ipse tibi exoptes atque auheles. Ita vale, meique, cum maxime reverendo Episcopo, Luca Herrmanno, memor vive, ut ego vestri. Scribebam Helmstadii Saxonum, in Academia Julia, d. XXV. Augusti, A. C. 1697.

ORI-





# ORIGINES NATIONUM, ac potissimum quidem Saxoni- cæ in Transylvania,

*e ruderibus historiæ eruta & com-  
pendiose adumbrata.*



Perentius, ob ingenii fecunditatem & sermonis elegantiam, Scipioni & Lælio charus, pulchre olim dixerat: *Nil tam difficile esse, quin quaerendo investigari possit.*

Quod quidem extra omnem dubitationis aleam, eruditorum omnium iudicio, si nos circumstantiæ aliæve media non destituant, est positum. Si quid autem est, quod Scriptoribus difficultatem pariat, est sane etiam investigatio originis populorum atq; nationum, partim ob variastemporum revolutiones, partim ob inconstantes rerum vicissitudines, partim ob defectum historiæ, quas quælibet ætas jure quodam suo requirit: Quid enim, quæso, de antiquitate Germaniæ Germanorumve, (ut alios omnes silentio involvam) certi habuissimus

A

mus





mus, nisi nobis Cornelius Tacitus, qui in alta quadam rerum humanarum specula videtur excubasse, præclarum illius rei monumentum reliquisset? de quo distichon isthoc:

*Teutonis antiqui prorsus nox atra voravit,  
Quæ Tacitus vigilans fortia facta tacet.*

Variatis itaque temporum periodis, quas Sarnoscarius in Pentade quinta Rerum Transylvanicarum, aliique fatales esse volunt, (neque nos abnuimus, si fatum divinum, non Stoicum & fatuum intelligas) qui insuper singulis etiam individuis annos climactericos attribuunt, (qua in re quoque fidem ipsorum, neutiquam sollicitabimus) experientia clare docet, integros populos, provincias universas, Regna item, atque Imperia illustrissima, mutationibus esse obnoxia.

— — — *Sic omnia verti  
Cernimus, atque alias assumere pondera Gentes,  
Concidere has.*

Idem contigisse in Dacia, cujus pars Transylvania est, certo certius constat, in quam, si a primis temporibus arcessamus initium, non longe a diluvio, multiplicato denuo genere humano, dum Armenia, numerosissimos Noachi nepotes capere amplius non posset, inter cæteros Heroas & antiquos Patres unus, nomine Gottus sive Geta, amplam suam familiam, Aventino teste, deduxit, lateq; terras hæc occupavit: quorum successores in tantam excreverunt potentiam, ut non tantum Regibus Græciæ multa subinde negotia facerent, sed & ipsam victricem Gentium,

um,



## \* 3. \*

um, Romam, tributariam facerent; donec Trajanus, Imperator omni laude superior, indignum ratus, ab eorum jugo pendere, expeditionem in eos parâset, victoque iterata vice Decebalo, cui regium diademâ incubuerat, universam Daciam subegisset, ita, ut deinceps, omnibus iis, qui summam tenebant Romani Imperii, continuata ducentorum fere annorum serie, ad Gallienum usque paruerit; sub quo Gotti, resumtis animis, & conspiratione facta, arma induerunt, & excusso peregrino imperio, iis tantum vivere iussis, qui dominium suum faciles admittebant, cæteros in Italiam ejecerunt, grassati tantisper victricibus ubiq; armis, dum Scytharum, sive Hunnorum acies vires ipsorum frangeret, iisq; funditus everfis, huic celebri nationi finem faceret. De quibus, si libuerit, consulendus est Dion Cassius, patria Nicæus, Georgius Merula, Scriptores item Gottici, Hungarici, aliique, qui symbolas elaborando huic argumento contulerunt.

Ne vero longius, quam par est, istis immoremur, sed, qua fieri potest brevitate, pro ratione instituti nostri, modernos Transylvaniæ incolas percenseamus, eorumque origines, e profundo oblivionis pelago eruamus, ad sequentia oculos mentis intendamus oportet. Transylvania e triplici genere Civium constat, quos Nationes vulgo dicimus, Hungarica puta, Siculica vel potius Scyculica, & Germanica sive Saxonica: quibus postea accedunt Valachi, Rutheni, Servii, Armeni, Bulgari, Græci, Anabaptistæ, Judæi, & extrema Cingarorum colluvies.





Hungarorum Sicularumque origo e scriptoribus rerum Hungaricarum innotescit, qui eorum incrementum & decrementum fideliter annotârunt. Tantam vero formidinem incusserat Europæis Attila, qui & flagellum Dei se nominaverat, ut Veneti, etiam ultra maris littora, in Neptuni quasi præsidium se receperint, celebrisq; Argentina pedibus Hunnorum concussa, ingeniosorum Architectorum consilio, ne quid amplius simile experiretur, sumtuosissimis sese munierit propugnaculis, quibus jam quidem satis tuto inscripsere illud: *Veniat nunc Attila!* Ceterum quanquam fines Germaniæ liberati fuerunt, ab Austria tamen nihilominus Regni sui terminos dilatatos pertinaciter fixerunt usq; ad Nicopolim, ubi dirum & inevitabile fatum & inconstans fortuna sese prodere cœpit, cum Turcæ anno 1396. cum Sigismundo Rege, terribili prælio conflixerunt. Bonf. Decad. III. lib. 2. Altera funesta clades fuit ad Varnam, confligente, svasu Juliani Nuncii Apostolici, Ladislao cum Amurathe, cujus memoriæ prostant sequentes versus:

*Romulidæ Cannas, ego Varnam clade notavi,*

*Discite mortales non temerare fidem.*

*Me nisi Pontifices jusfissent rumpere fœdus,*

*Non ferret Scythicum Pannonis ora jugum.*

Inter cæteras autem fatales, memorabilis erat Ludovici pugna ad Mohacsum, cum idem Rex, ut erat armatus, palustre sepulchrum occupavit. Dein fortuna Solimanni, armorum Ottomannicorum successu elevata, non modo vehementer exhausit Hungariam



\* 5. \*

riam, sed etiam, multorum annorum spatio, ardentissimi belli theatrum fecit.

Saxonum ortus, non est æque expeditus, ut ea propter tribus opinionibus, quibusdam veluti semitis, insistant, qui eorum initia investigant accuratius. Prima opinio Gottis tribuit Saxonum originem: altera Carolo Magno, Saxonum Apostolo, qui tamen totis triginta tribus annis arma illius exercuerunt: tertia Geysæ II. Hungariæ Regi, S. Andreae Regis avo.

Cæterum *Gottis antiquis* Saxones nihil debere, vel hinc constat, quod patroni hujus opinionis, mera conjectura nitantur, teste Carione: Demus enim, Gottos, antiquissimos olim horum locorum populos fuisse: demus item, Saxones neque Hungarorum vel Sicularum esse progeniem, neque aliquam Romanæ Reipublicæ coloniam; qua quæso specie veritatis inde colligitur, populos quosdam Saxonicos, vel Germanicos, Gottis sese, ceu cognatis suis miscuisse, aut, nisi hoc statuatur, incertum fore, quonam sint redactæ antiquorum Gottorum sive Dacorum reliquiæ? Ecquis enim mirabitur, si dixerimus, Gottos, a vasta Hunnorum potentia penitus esse excisos? quandoquidem ex eo tempore, Gottica memoria hic loci evanuit. Videatur hac de re Nicolai Olahi Attila cap. 7. ut & Johannes Aventinus lib. 2. de Romanis Imperatoribus.

Neque e ratione status erat, ut Saxones alteri genti miscerentur, cum, juxta Diploma Regium, unus populus esse debuerint: Cui uti antiquitus, ita

A 3

hodie-





hodieque firmiter inhærent, nimium solliciti, ne quisquam alterius sanguinis & generis, in communionem suam veniat, & antiquas ipsorum libertates aliquo modo convellat, iis solum admissis, qui ex Imperio Romano, & incorporatis eidem Provinciis, quibus etiam Helvetii annumerantur, originem traxere. Id infimul quam diligentissime cavent, ne Nobilitas, vetusto ordini & legibus civilibus plerumque infesta, prævaleat, suaque municipia & contubernia vel turbet, vel penitus labefactet. E quibus in proclivi est conjicere, neminem etiam Gottorum, quantumvis aliqui forsitan eorū alibi superfuissent, (quod tamen nullo indicio probari potest) in eorum consortium admissos esse. Accedit & hoc, alienum videri a communi sensu hominum, tantam Gottorum multitudinem ex omnibus locis, in unam veluti compagem coaluisse, ut exiguis fundi Saxonici pomœriis capi potuerit. Quod sane diligenter considerandum, ne a vera historia, atque luce meridiana clariori, ad incertas & aniles pene fabulas delabamur: quod meis olim familiaribus, Tepeltino, Tröstero & Matthiæ Militi contigerat, uti id ad oculum, iis adhuc superstitionibus, demonstratum erat. Nec debebat Laurentius Tepeltin<sup>9</sup>, ex adulterato aliquo privilegio, pro termino *vocati, donati* substituisse; sed potius à suis Patronis, qui quotidianis (ut sic dicam) manib<sup>9</sup> originale terebant, genuinum vocabulū postulasse.

Alterius autores sunt plurimi, qui existimant, *Carolus M. Imperatorem*, quanquam persæpe Saxones in Germaia vicerit, eorum tamen rebellionem frænum alias injicere non potuisse, nisi vires illorum distraheret:



\* 7. \*

ret: quo consilio factum esse, ut eorum nonnullos in Transylvaniam duxerit. Sed, quomodo potuit Carolus Magnus, tuto colonias mittere in hosticum, ubi nihil juris habuit, & quo armis suis hucusque nunquam penetraverat? Et incredibile videtur, quomodo a seculo octavo, in quo laudatus Imperator bella gesserat, usque ad duodecimum seculum, Saxones isti, nullius hominis memoriam subierint.

Quod vero tertiam assertionem attinet, circa eam non debet quæri de particulari aliqua Germanici sanguinis familia, sed de toto populo Saxonico, quomodo nempe is, & quando, in Transylvaniam concesserit? Certum est quidem amore fidei Christianæ, quosdam Alemannos, adhuc a Geysa I. e Germania accitos, e quibus ej<sup>9</sup> filius Stephanus Sanctus, adversus rebelles & Cupam, ethnicismum defendere satagentem, exercitui suo Vencellinum præfecit. Constat etiam ex Turocio, Herrmañum Norinbergens. (cui metropolis Herrmañ-  
Stadt/juxta Græci sermonis indolem Herrmannopolis, & a vicino fluvio Cibino Cibinium dicta, nomen debet,) solennem comitatum, qui S. Stephanum Hungariæ Regem, cum Gisela nuptias celebraturum cinxerat, in occasionem, ad hæc plagas veniendi accepisse, ac antiqua traditione, primam hic loci domum fundâsse, Zeug-Hoff vulgo dictam hodie: ita, ut successu temporis, multiplicatis familiis, ac advenientibus potissimum Saxonibus, in amplam civitatem abierit.

Tandem, cum Christiani in Palæstina, bello Turcico & Saracenicis occupati, post captam Nicæam, Cili-  
ciam





ciam & Antiochiam, ipsam quoque Hierosolymam, felici conatu, & ingenti virtute Godofredi Lotharingiæ Ducis, qui primus urbis murum conscenderat, expugnâssent, Regnumque Hierosolymitanum stabilivissent: in Hungaria quoque, sub *Geysa* II. Rege, sedatis motibus vicinis, nihil ad publicam tranquillitatem & usum communem amplius defuit, quam ut loca deserta & incolis vacua, ob temporum præteritorum injuriam, aliis, iisque cultoribus, ac variarum tam liberalium quam mechanicarum artium gnaris, quibus Hungari bello assueti prorsus carebant, substitutis implerentur. Rex itaque prudentissimus, defectum istum sublaturus, totumque Regnum ab inculta barbarie liberaturus, numerosos ex Germania homines, & arte & ingenio claros, sub oblatione multorum privilegiorum & prærogativarum, excivit, ac inter eos quidem Saxones, in Transylvaniam deductos, iis, quibus nunc insident locis, clementissime donavit, quod partim, ex Caspari Ensi tractatu de Regibus Hungariæ sub Rege *Geysa*; partim e privilegio *Andræ* II. Regis patescit, qui exemplum aliorum Principum Christianorum imitatus, infestum in Palæstinam exercitum duxit, gentemque Hungaram solenni in monte Sinai privilegio decoravit.

Postquam vero e longinqua ista expeditione rediisset, e re sua id esse rati Saxones, ad thronum Suae Majestatis accedunt supplices, ea, qua decebat, humilitate atque submissione postulantes, ut Rex Serenissimus, pro innata sibi clementia, labefactata quadantenus sua privilegia, quorum vigore illecti, relictis sedi-



sedibus, in Transylvaniam venerant, postliminio revocata, redintegraret & confirmaret: quod quidem S. Rex, cognomento Hierosolymitanus, solito pietatis motu ductus, non modo Hungaris, sed etiam Saxonibus ultronea quadam voluntate præstitit.

Ex hoc itaque privilegio, documentum etiam petimus Saxonicae originis, accedente Nicolai Istvanfii, Regni quondam Hungariae Pro-Palatini, calculo. Verba enim laudati Regis, tam sunt clara, ut assensum apud omnes facile mereantur. Sic vero Ille: *Accedentes, inquit, fideles Nostri hospites Teutonici Ultrasylvani universi, ad pedes Majestatis Nostrae humiliter Nobis conquerentes, sua querimonia suppliciter Nobis monstraverunt, quod penitus sua libertate, qua vocati fuerant a piissimo Rege Geysa, Avo Nostro, excidissent.* Quo quidem fundamentali privilegio, etiam termini fundi Saxonici definiuntur: a Varas (rivo, unde Brosz, Saxopolis five Szászváros nominatur) incipiendo, usque in Boralth, cum terra Sæbus (Sive Szász-Sebes, aut Sabæsi) & terra Daraus, Dräß / in finibus Siculiae, ad Rupem pertinente, & terra Siculorum, usque ad Sylvam Blaccorum & Bysfenorum, h. e. sylvosos montes Valachiae, omnibus Comitatus, præter Cibiniensem, cessantibus radicibus. Quos terminos Saxonicos, Saxones, tanquam distinctus populus, acceperunt assignatos, eosdemque ipsimet inter se invicem distribuerunt, ac distributione peracta, metales literas, super omnibus terris, quæ Comitatus non habent conterminos, formarunt. Ubi vero fundum nobilitarem habent vicinum, ibi juncto

B

cum



cum Comitatus iudicio, definitæ metæ. De quibus Principum literæ territoriales passim prostant.

Accedit etiam, quod ab antiquissimis temporibus, per continuam annorum seriem, usque ad nostram ætatem, Calendariographi in affixis Chronicis, memoriam istam reliquerunt, ingressum Saxonum, in annum 1142, qui annus etiam in Geysæ II. tempora incidit, additis singularum Civitatum initiis, referentes. Nec est, quod aliquis miretur, eos in dicto privilegio, *Hospites Teutonicos* vocari. *Hospites* enim sunt, quia aliunde accersiti. Utinam vero, ceu grati hospites, tractarentur! *Teutones* autem, quia cum Germanis & Saxonibus, in Saxonia Germanica habitantibus, communem patrem Tuiskonem vel Teutonem agnoscunt: communem cum illis religionem & ritus Ecclesiasticos & habebant semper, & adhuc habent: immo ordines etiam Civitatum, ad formam Saxoniarum aliarumque urbium Imperii, constituerunt: communi cum illis scriptura utentes, & lingua a Vestphalica dialecto parum variante. Hoc profecto perillustre est communionis & cognationis argumentum, quod Cibinium, quæ Metropolis est, ut ante dictum, Saxonis insignibus, duobus nempe transversis gladiis, ceu nobilitari axioma, in præsentem usque diem gaudeat: quodq; in multis Historicis, privilegiis, & Natione Hungarica, Saxonico nomine insigniantur. Quod sane inter fundamenta, non postremo loco habendum.

Haberemus tamen adhuc plura hac de re fundamenta, nisi Archiva publica (quod dolendum) ob  
non-



## \* II. \*

nonnullorum Principum insolentiam, inæstimabili Reipublicæ, & irreparabili venturæ posteritatis damno, eam essent passa jacturam, ut eam propter, multa antiquitatis monumenta, & documenta rerum præteritarum penitus interierint. Etenim, anno 1610. Princeps juvenis, Gabriel Bathoreus, ingenio nondum defecato, vel natura ad crudelitatem pronus, sub specie Principalis gratiæ, & propensionis, Cibinium ingressus, multa egit indigna Principe, & ab expectatione civium fidelium prorsus aliena: Curiam enim, ubi scrinium erat Instrumentorum publicorum, occupavit, Instrumenta pleraque omnia dissipavit, Magistratum in captivitatem conjecit, cives urbe expulit, quibusdam duntaxat ex imbelli sexu, pro sua libidine, retentis, cives ære privato emunxit, vestigia fortasse Sigismundi, itidem Bathorei, Principis imitatus, qui Transylvaniam, Rudolpho II. Imperatori, felicis memoriæ, pro duobus Silesiæ Principatibus, Opulia nempe & Ratiboria, permutaturus, e plerisque Regni literis, fideli manu, in Capitulo Albeni conservatis, in foro publico rogum fecit, easque Vulcano consecravit, tabulis imaginum Johannis Hunniadis sive Corvini & Georgii Castriotæ, Turcis Scanderbeg dicti, cum duabus Pygmæorum calvariis, quas Solimannus Johanni Regi dono miserat, inter quisquillas puerorum ludibrio expositis. De quo infeliciori Transylvaniæ fato vid. Samoscafius, Pentade quinta, Rerum Transylvanicarum. Quæ vero Instrumenta tyrannidi Bathoreæ, Dei providentia subtraxerat, ea successor, Gabriel Bethlen, Princeps omni encomio





superior, juxta cum pristina libertate, prono vultu urbi restituit; ut ostenderet, salutem publicam, genuino Principi puppim esse proramque, salubri illius consilio, ceu suavi aliquo favonio, noctu & interdium regendam.

His Saxonibus Transylvanicis, Divi Reges Hungariae, magno suo auctoramento, pacis aequae, atque belli tempore usi sunt: potissimum adversus Tartaros, quos Privilegia quaedam Teucros vocant. Cujus rei praecclarum testimonium Archivum Cibiniense exhibet, ut & elogium sigillo nationali majori inscriptum: *Ad retinendam Coronam.*

Ad expeditionem vero bellicam, certorum armorum numerum suppeditare tenentur. Intra Regnum quidem, si Regia Majestas in persona expeditioni praesit, quingentos: extra Regni limites, centum. Si vero in hoc posteriori casu, Locum tenentem sua Majestas Regia substituat, quinquaginta solum deputant. Ubi in parenthesi velut notandum, quod in conflictu ad Panum Campum (vulgo Kenyermezó) ut ut initio Christiani adverso Marte pugnarent, quos Vajvoda Stephanus Bathoreus, pio quidem zelo, ad continuandum praedium excitabat, dum diceret: *Cum Christo illos cenaturos, qui ibidem animam cum ipso sanguine profunderent*: Hungari vero aliive milites promiscui, amore hujus vitae, cenam illam fastidirent; factum tamen est, ut adveniente ex improvise Paulo Kinisio, Bano Tómosváriensi, Turcae panico terrore perculsi, abjectis animis, in fugam se converterent, spatiumque relinquerent  
victo-



victori, ipsum Vajvodam, e cæsis corporibus excitandi, & e cœna illa, cujus usu, non se, sed alios felices esse cupiebat, eripiendi. In hac pugna, præclare dimicavit e Cibiniensibus Georgius Hecht, (Hungarice Csukás) adeo, ut præclara officia postmodum meruerit. Qua de re videri potest Oratio Alberti Hutteri, coram Sigismundo Báthori Principe, & universis Transylvaniae Statibus instituta.

Extra prædictas principales Transylvaniae Nationes, de quibus hætenus actum, vetustiores sunt *Valachi*, quos aliquando Latine Romanos, Hungarice Olá, denominatione ab Italia petita, (Hungaris enim Italus, Olasz. Italia autem, Olasz Ország dicitur) nuncupamus: pure Germanice, Valachus est *Walach* / Saxonico-Germanice, *Bloch*; unde Blaccorum nomen ortum. Idem vero Valachi, se ipsos Romun, id est Romanos, vocant. Romanos eosdem esse, communis est Auctorum opinio. An vero Flacciani potius Romani, vel Volgachi sint, a Moscorum fluvio Volga, sic dicti, dubio non caret. Quod enim ante tempora Trajani, Duce Flacco, Romani Danubii domini fuerint, constat ex Elegia, in exilio ad Græcinum scripta:

*Præfuit his, Græcine, locis modo Flaccus; Et illo*

*Ripa ferax Istri sub Duce tuta fuit.*

*Hic tenuit Mysas Gentes in pace fideli:*

*Hic arcu fisos terruit ense Getas.*

Existimamus tamen, veriore esse illam sententiam, qua statuitur, e colonis eos Romanis Trajani Imperatoris, quibus, facto per Danubium pilis lapideis ponte, miro artificio, Regem Gottorum Decebalum,





magnis cladibus attritum vicerat, supermansisse: sicuti idem, Romæ columna Trajana, & in Transylvania multæ Romanæ inscriptiones & monumenta lapidea restantur: inter quæ, creberrima fit mentio Legionis decimæ tertix geminæ & aliarum. Visuntur etiam monumenta & tumbæ lapideæ, adhuc in foro Cibiniensi aliisque locis, ac præcipue quidem Albæ Juliæ; ubi portam publicam, quæ Orientem respicit, ingressuris, Romulus & Remus, a lupæ uberibus penduli apparent, nec non statua quædam Romana, quam Franciscus Taraczkosius Poëta, & conservator literarum Transylvanienfium, Ovidii effigiem esse conjectabat: cujus vestigia secuti alii, ne hodie quidem opinioni illi nuncium remisere. Martinus vero Zeilerus putat, eundem in Sarmatia vel Polonia fati concessisse, præcipue cum lapis ibidem inventus sit, cum sequenti inscriptione:

*Hic situs est vates, quem Divi Cesaris ira  
Augusti, patria cedere iussit humo.*

*Sæpe miser voluit patria succumbere terra;  
Sed frustra. Hunc illi fata dedere locum.*

Sunt &, qui Tomosvarinum, quasi a fluvio Tómos, Tomos dictum esse existimant; unde Ovidius exul, suum illud scripserit:

*Naso Tomitanæ jam non novus incola terre &c.*

Visuntur etiam in aliis locis columnæ & lapides, Jovi, Æsculapio, aliisque Diis Gentilibus inscripti. De quo Samoscus, in Analectis Lapidum Transylvanicorum fusius.

Quod vero successu temporis, leges, mores, scriptu-



scripturam, & religionem ipsam mutaverint, sine omni dubio, inde factum, quod superioribus seculis, Ruffiæ Albæ populus, sedes novas quæsiturus & domicilium mutaturus, collectis vasis, non tantum Bulgariam; sed utramque insimul Danubii ripam, impleverit, ac versus meridiem quidem, populos Illyrios, in partibus vero cis-Danubianis, in quibus Valachia Moldaviaque sita est, Romanas invenerit colonias. Facta deinde Nationum diversarum, partim per connubia, partim per varia commerciorum genera coalitione, lingvæ etiam commixtæ sunt. Ac in Bulgaria quidem, Mysia & vicinitate proxima, Ruthenica cum Illyrica, in Valachia vero & Moldavia, eadem Ruthenica cum Latina confusa est, uti ex idiomate Valachico clare & aperte constat. Hinc est, quod prædictæ coloniae, non lingvam tantum, sed scripturam quoque & religionem Ruthenicam, quæ a Græca nihil diffidet, communem habeant, sacraque sua, Ruthenica ut plurimum lingua peragant, retenta in Bulgaria vel Volgaria, Scriptura Illyrica, quam autore S. Hieronymo, patria Stridonensi, & in adulta ætate, agri Bethlehemitici incola, obtinuerant.

Eadem occasione, uti colligere pronum est, nonnulli, e vicina Servia, huc in Transylvaniam commigrârunt, puta in pagum Bungard / Rús-zúr (quod Hungaris, Ruthenorum horreum significat) Csergód &c. Pari, vel voluptate animi, vel necessitate aliqua excitati Saxones, alii quidem in Moldaviam, alii vero in Valachiam profecti erant: cui rei indubiam fidem facit, templum Saxonicum in oppido Campo-Lon.





Longo & Torgevischt &c. exstructum. Idem iudicium esto de Rascianis.

*Armeni* vero metu Tartarorum perculsi, e Moldavia in Transylvaniam se receperunt. Si quis autem scire cupiat, quomodo in Moldaviam penetraverint, ille sic habeat, velim. Postquam nempe Leo III. Armenorum Rex, fatis concessisset, regnandi cupido, inter ejus filios, Oscin & Hagag, ambitionem excitavit, adeo, ut minor natu Hagag, vicinorum Persarum, Tartarorum item & Turcarum potentia adjutus, expulso in exilium fratre, solus Regno fuerit potitus, hac tamen lege & conditione, ut eo decedente, ii succedant, quorum armis Regnum occupaverat. Malum hocce consilium, (uti alias fieri assolet) consultori in exitium cessit. Victores enim, moram longiorem averfati, sublato e vivis Hagag, Regnum inter se partiuntur, finitimamq; urbem, Ani dictam, eamque celeberrimam & vastissimam, Persis vicinam, de qua illis minime conveniebat, communi consilio diruunt. Hac patriæ urbis everfione offensi cives, pars quædam in Persiam, pars in Crimeam, pars in Poloniam & Moldaviam concessit: e quibus postremis aliqui, deserta Moldavia, in nostra provincia sedes quæsiere. Religionem eorum si spectemus, Romano-Catholicam sequuntur nonnulli, quibus Episcopi titulo præest Rev. Oxendius; alii vero Euty-chianæ hæresi adhærent, in autore suo Eutyche, Presbytero & Archimandrita Constantinopolitano, & Dioscoro Alexandrino Episcopo, in Concilio Chalcedonensi 630. Episcoporum, Leone I. Romæ



mæ sedente , a Martiano Imperatore congregato ,  
damnatae.

*Anabaptistarum* reliquiae visuntur adhuc uno  
ab Alba Julia milliari , in oppido Vincz , quos  
Princeps Gabriel de Bethlen , pro singularibus arti-  
bus mechanicis , e Moravia , dum coronam Hunga-  
riae in notissimis illis turbis Germaniae , ambivisset ,  
in Transylvaniam transportavit , inque dicto oppido ,  
in rationem praedicti coetus , domum pro convictu  
communi eis assignavit , quam usque ad Allibassæ tem-  
pora retinuerunt : modo vero communis ipsorum œ-  
conomia , ita ferente necessitate , cessavit , vixque unus  
vel alter illorum superest. *Græci* , ut & *Judæi* , per  
mercaturam penetrarunt in Transylvaniam. *Bul-  
garos duplices* in Transylvania habemus , veteres nem-  
pe & novos : veteres quidem in suburbio Coronensi ,  
qui vero jam in Valachos degenerarunt ; recentes ,  
occasione moderni Turcici belli venerunt Cibinium ,  
ex oppido Kiprovacz , utunturque ( ut ante dictum )  
lingva Illyrico-Ruffica & religione Romano-Catho-  
lica. *Cingarorum* ortum , quos inter Pharaonis no-  
men frequens est , Camerarius in Horis Succisivis  
memorat , qui , ubi ubi locorum degant , ( quod sane  
mirum est ) unica lingua fundamentali utuntur , dia-  
lecto singulis locis attemperata .

*Hungaros* inter & *Siculos* tres sunt usu receptae  
religiones : Romano-Catholica , Evangelico-Refor-  
mata & Unitaria , quae negata Christi deitate & Spi-  
ritus S. personalitate , Deum , ut essentia , ita persona ,  
unum tantum agnoscit. Inter hos Lutheranus raro

C

inve-





invenitur. Judaizantes vero aliqui, quin & Chiliastæ olim, qui tamen jam evanuerunt. Saxones universi, D. Martini Lutheri doctrinam amplectuntur, in Libris Symbolicis contentam, puta invariata Confessione Augustana, Apologia ejusdem, Formula Concordiæ, Articulis Smalcaldicis &c. Post Libros Symbolicos, quotidiano usu volvunt variorum Doctorum, exquisitos labores & Systemata, nempe Gerhardi, Dannhaueri, Dorschæi, Calovii, Schertzeri & aliorum; fanaticorum autem dogmata & opiniones averfantur.

Quæ vero initia, quosve progressus habuerit Reformatio, id peculiari concione rever. Andreas Oltardus, Pastor quondam Cibiniensis, edisseruit. Occasionem autem suppeditavit bellum Turcicum cum Ludovico Rege Hung. cladesque Mohacsiana, Judice Regio vel Comite Cibiniensi, Marco Pemplingero, Budæ officio fungente, ubi in ejus absentia quidam Monachi Vitenberga, D. Martini Lutheri Doctrinam, Cibinii in ædibus ejusdem Comitis, post brevi M. Joh. Honterus Coronæ, disseminarunt. Universusque postea Saxonum populus, eandem ad hunc usque diem professus, ab unius Episcopatus ecclesiastico regimine pendet, fuitque Episcoporum primus Lutheranorum, Matthias Heblerus, Pastor Cibiniensis, cujus ossa in cathedrali templo, ad altaris dextrum (dum templum ingrederis) cornu sunt recondita, ubi etiam epitaphium ejus cum cippo prostat.

*Dividitur* vero Natio Saxonica, in Civitates & Sedes. Metropolis Cibinium est, quam tres Universitatis civitates, Corona videlicet, Media vulgo Medwes/  
&



& Bistricium, Germanice *Nöfen* / sequuntur. Sedes sunt septem, quæ e duabus civitatibus & quinque oppidis constant, & a septem Judicibus reguntur. Ordo autem Sedium in sessionibus iste est: Cibinium, ut metropolim, immediate sequitur Schæsburgum, dein Corona, Mediesus, Bistricium, Sabesus, *Großschencf* / Mercurium, Rupes, *Leschfirch* & *Broß* / sive Saxopolis, Saxonicae terræ initium.

Quæ Civitatum licet ac Sedium solum sint nomina; suo tamen complexu comprehendunt pagos omnes ad se pertinentes, qui perinde, ac Civitates, sunt privilegiati ac liberi, quorum vero pars, ob Saxonum defectum, a Valachis & Ruthenis, Hungaris etiam ignobilioribus, inhabitatur quidem, sed hac lege & conditione, ut servilia officia iis, quibus subjiciuntur, præstent. Inhabitabant etiam Saxones, præter terminos sibi assignatos, alias civitates, utpote, *Claudiopolim*, *Vincz* &c. quæ, sicuti fundo Regio erant incorporatæ, ita etiam eadem gaudebant libertate; nunc autem ratio earum mutata est. Proinde Bistricienses etiam, qua originem homines, velut nunc sunt, ita liberi Regique erant a primo ingressu; potentiorum tamen vi subacti. Formatus erat ex eorum districtu peculiaris Comitatus, cujus dominus erat Johannes Huniades. Ubi vero *Matthiæ Corvino*, communi justitiæ assertori, Huniadis filio, justum gravamen, de violenta sui oppressione proposuerant, manumissi sunt, specialique indultu, ac solenni privilegio ita instructi, ut citra infidelitatis notam, vi repellere possint eos, qui Regiam eorum libertatem potentia lacefferent.



Modus administrandi est Aristocratico-Democraticus. Superior Magistratus, cui præcipue cura justitiæ incumbit, est Judex Regius Cibiniensis, qui est totius Nationis Saxonicae Comes, vita durante confirmatus, cui accedunt alii quoque Judices, sive Primarii illi sint, sive Regii. Curam vero œconomiaë Consules exercent, aut, ubi illi desunt, Judices vel Villici. Consul autem Cibiniensis, qui cum Regio Judice Cibiniensi, sive Comite Nationis, Universitatis respectu, duumviratum constituens, œconomiaë totius Universitatis seu Saxonicae Nationis præest. Habent præterea septem Judices sua bona nobilitaria, vel communia, vel particularia seu specialia. Communia quidem sunt, quæ sub inspectione & judicio Magistratus Cibiniensis existunt: cætera vel Cibiniensium, vel Coronensium, Bisztriciensium & Sabesiensium speciale dominium agnoscunt. Communes tamen possessiones, speciali privilegio almae Universitati sive fundo Regio sunt incorporatae.

Saxones tres experti sunt potissimum periodos, ex quo hic in Transylvania resident. Prima quidem sub divis antiquis Regibus Hungariæ, a quibus immediate dependebant, remoto omni judicio & imperio Vajvodali: ita, ut solius Regii Judicis Cibiniensis, & Regis Judicio subfuerint, juxta verba privilegii superius allegati, & Anno 1224. emanati: *Ita, ut Saxones nemo judicet, nisi Nos* (sunt verba Andreae Regis) & *Comes Cibiniensis.* Ut adeo sublatis & cessantibus reliquis omnibus Comitatus, in Saxonica Natione existentibus, unicus Comitatus, scilicet Cibiniensis, a sola Ma-



la Majestate dependens supermanserit. Hinc est, quod fundus Saxonicus, *Provincialis*, ejusdemque Officiales, passim in privilegiis, *Provinciales* dicti fuerint, ut Consul Provincialis, Notarius Provincialis.

Altera Periodus initium sumsit in fatali Transylvaniae avulsione a Corona Hungariae. Quod factum tempore Johannis Scepusiensis, ejusque filii, Johannis Secundi, Regum, de quo legendi Historici, ut Paulus Jovius, Nicolaus Istvanfius, Johannes Zermegy &c. Quibus fato functis, institutus fuit Principatus, qui quidem vigore Athname, (nomen Capitulationis est) ab Imperatore Solymano, Johanni Regi impertiti, majestatem praese ferebat, limitatam tamen, inter Status & Ordines Transylvaniae. Si quisquam autem Principum amans legum, assertor justitiae & protector totius Transylvaniae, & singulorum ordinum fuit, erat profecto Stephanus Bathori, Rex Poloniae, cujus laudabile nomen & in Republica Polonica semper manebit & virebit. Hic sua inspectione, sub Christophoro Bathori Vajvoda, non modo Statum memorabilibus decisionibus, ad justitiam & aequitatem conformavit; verum etiam, omnia pene privilegia & indulta Saxonicae Nationis, perpetuo valitura, novis diplomatis confirmavit & auxit. Quorum observatione & omnes successores Principes, vi conditionum suarum jurejurando confirmatarum, tenebantur & obstricti erant.

In hoc Statu Monarchico-Aristocratico, fatali-



ter paulatim, & de die in diem, magis ac magis, decrefcere visæ sunt libertates Saxonicae, potissimum ideo, quod quidam crediderint, Regium fundum, sub quo nomine Saxonicus intelligitur, *peculium* (qui terminus in antiquis Instrumentis, Saxonibus nunquam attributus legitur) & Regibus *fiscalem* fuisse. Verum est, utrumque nomen ipsi competere, sed in bono & legitimo, non autem abusivo sensu, ita quidem, ut *peculium* dicatur, quod Divis Regibus peculiare clenodium, & charissima supellex fuerit: Coronæ quidem, at non Jobbagionum more subjecta, verum eadem libertate domini instructa, qua Rex ipse, antequam fundum suum Regium Saxonibus donasset, instructus erat. Unde notanter fundus Saxonicus Regius, a libertate domini Regii dicitur; & ob eam rem aliquali pensione tributi, contenti erant Reges, semper tamen memores christiani illius dictæ: Boni Pastoris esse, tondere pecus, non deglubere. Quare etiam ab ipsis Statibus, per Compilatarum Const. Part. 3. tit. 13. art. 6. hæc æquivocatio sublata fuit. Fiscalitas vero ipsi competit, quod immediate, ut liber populus, a Majestate regatur: unde & hodie adhuc, certo respectu, Regalibus privilegiis, cum singulari tamen erga Majestatem observantia, gaudet, ita, ut suo fundo ipsamet Natio Saxonica, juxta privilegium, cujus vigore, solius Regis dominationem spectabat, libere, ceu proprietate sua, possit uti & frui. Decimarum tamen partem,



tem, ( licet juris divini potius, quam fiscalis sint, immo ipse etiam S. Stephanus Rex, cum adversus Cupam dimicaret, eas Christo consecraverit ) Isabellæ aliisque temporibus, non sine injuria, cum dolore videmus ademptam. Glandium vero & piscinarum abusum, ex inclytorum Statuum consensu, & Sacratiss. Cæs. Regiæque Majestatis confirmatione, juxta contractum, speramus correctum iri.

Votorum item in Regni Comitibus sunt participes, quod inter potissima Civitatis jura apud Politicos habetur, cum hac quidem cautela & moderate, quod etiam, si Nationes super re indifferente concludant, pluralitas omnino votorum prævalere debeat. Quod si tamen injuriam & damnum tertiæ ferant, jus illius indemne, sartumq; & tutum habeatur, immo, juxta Instrumentum concordie, Art. Fassionis 4. Anno 1459. emanatum, *memorati duo Status, tertii privilegia & jura manutenere teneantur*, quod singulis tribus Nationibus commune est. Habent insuper morem celebrandi quotannis inter se Cibinii congregationem publicam, quæ speciem Comitiorum præ se fert. Habent potestatem inter se dandi privilegia, in quantum quidem fundum Regium sive Saxonicum concernunt; habent item propria jura municipalia, a Matthia Fronio, Notario Coronensi, compilata, & per celeberrimum Albertum Hutterum, Judicem Regium Cibiniensem, & quosdam aliarum Civitatum Officiales socios, Divo Stephano Bathori, Regi



Regi Poloniæ, ad ratificandum exhibita, & tunc ab eodem, nunc etiam a Cæsaris Majestate Sacratissima, Domino nostro Clementissimo, confirmata. Insuper, possidendi bona nobilitaria, tam ab universis, quam singulis, & id genus prærogativarum, aliarum habent. Antequam autem Saxones Statuta sua haberent, in ferendis legibus, antiquo codice manuscripto Noribergensi (qui adhuc in curia Cibiniana visitur, & usque ad nostra tempora noviter inaugurati Senatores, impositis super eo digitis, juramento Reipublicæ obligantur,) & consuetudinario jure usi sunt.

Hac ratione fiscalem esse, nemo dubitare potest, non tamen eo sensu, quo reliqua bona fiscalia dicuntur. Ideo communi Principum & Statuum consensu, adornatum est Regestum sive Catalogus eorum, quæ Fisco sive Principibus, & cui ad tempus eadem ex mera gratia conferre voluerunt, officia servilia præstiterunt, & adhuc præstare tenentur. Secus autem totus fundus Saxonicus liber est ac Regius. Ut taceam Civitates in Hungaria fiscales, & solum, quæ Saxones concernunt, memorem; quod ex Uladislai Decreti septimi Art. 3. Anno 1514. luculenter constat, cujus verba sunt sequentia: *Item in Transylvania Saxones Regii, omnes fodinæ & cameræ salium, & loca earundem fodinarum, cum civitate Claudiopoliensi, ac omnes vigesima & centesima ac quinquagesima, partibus in eisdem Transylvaniensibus exigi consuetæ, &c.* Cum trigesima  
ma



ma ad Rubram Turrim vero quondam eadem erat ,  
 quæ cum Regio fundo ratio. Secundam hanc pe-  
 riodum clausit Christiano obitu, florentibus armis  
 Cæsareis adversus totius Christianitatis hostes, pau-  
 lo ante irruptionem Tekelianam , Princeps pius &  
 mansuetus , Michaël Apafi : cujus ossa quiescant  
 in Domino, ad vitam æternam!

Tertia Periodus incidit in Annum 1687. dum  
 Serenissimus Dux Lotharingæ, cum victorioso ex-  
 exercitu Suæ Majestatis Sacratissimæ , LEOPOL-  
 DI, Romanorum Imperatoris semper Augusti,  
 Hungariæque & Bohemiæ &c. Regis, Domini no-  
 bis naturaliter clementissimi, in Transylvaniam ap-  
 pulit. Qua occasione utrisque manibus, Transylvani,  
 ultro arrepta gratia Cæsarea, diroque jugo Tur-  
 cico deposito , postliminio in desideratissimi Do-  
 mini sui paternam protectionem , & consortium  
 Christianitatis, læti concesserunt ; medianteque  
 benigno Suæ Majestatis diplomate , constitutum  
 est *Gubernium Regium* , ordo scilicet inter Excel-  
 lentissimum Dominum Gubernatorem & XII. Con-  
 siliarios Intimos Regios , ut & inter Status, sive  
 tres receptas Nationes. Quæ etiam duorum Con-  
 tractuum , inter Saxoniam Nationem & duos re-  
 liquos Status, ut authenticorum, & a Sua Maj. con-  
 firmatorum , observatione , pari jure tenentur.  
 In quo Statu jam nihil magis & altius , quam lon-  
 gævam Suæ Cæsareæ Regiæque Majestati vitam,  
 cum Augustissima Prole, & auream pacem ( ut

D in





in ea adhuc , quibus libertatibus indigemus , & quæ desiderantur , quæque in gratioso Diplomate partim expresse , partim virtualiter confirmata sunt , uti & frui valeamus ,) poscimus & anhelamus.

Interim non est , ut quenquam moretur , quod a multifaria & confusa Autorum opinione discessum est , cum plurimi ex ignorantia Constitutionum publicarum , & variarum Nationum Germanicarum , aliarumve involutione & confusione , hallucinati fuerint , & plus historiam confuderint , quam verum aliquod lumen suppeditarint. Hamelensium fabulam etiam nemo sanus credit , immo nec Athanasius Kircherus rationabiliter eidem suffragari potest ; nisi infantibus , per meatus terræ (juxta Beccherum) in Transylvaniam euntibus , facem prætulero ; ecstasis vero Magistri Erichii & privata est , & sine ullius noxa facile evanescit. Sicuti etiam ejus filius M. Samuel Erichius , in Exodo suo Hamelensi , Parte 3. p. 106. tum demum appariturum , inquit , quo pueri isti Hamelenses devenerint , cum , ingruente die extremo , omnia revelabuntur. Secuti ergo sumus publicam fidem Domini Nicolai Istvanffy , uti publicæ personæ , & authentica Regum testimonia , de quibus dubitare nefas est. Quibus accedunt , & quæ hic colophonis loco reservatæ sunt , Inscriptiones nonnullorum templorum , quæ etiam publicæ sunt , & annum 1160. solennnis illius

us



us adventus Saxonum exprimunt ; post hæc enim Saxoniam Nationem , aliæ quoque familiæ illustres Germanici Imperii , qualis *Hallerorum* Patricia Noribergensis est , auxerunt.

Opponat nunc in suis manuscriptis & vulgaris editionibus ( quæ omnes mihi ad manus sunt ) quidam ex supra memoratis , nodum suum Gordium , & inveniet ex rationibus allegatis ( ut ajunt ) Phillida vel Alexandrum , qui illum solvat. Nec enim & hoc ex sua sententia obstabit , quod piissimus Geysa , ab initio sui regiminis , cum Austriacis , quibus Saxones in subsidium venerant , bellum gesserit ; nam compositis deinde & pacatis rebus , factisque ex inimicis amicis , fieri omnino potuit , ut illos in gremium Regni sui , gratiosa propensione receperit.

Concludimus itaque. Inelytæ Hungaricæ Nationi sua eminentia & nobilitas constat. Siculica , uti olim , ita nunc immunitatibus & libertatibus fruitur. Saxonica , precario , ad emolumentum Regum & totius Regni , similibus libertatibus , sancta observatione promissis , accessit. Ideo nec bello subacta , nec peculium , nec fiscalis , in eo , quo malevoli volunt , sensu , nec antiqua Dacica , nec Getica , nec Jazigica est , vel esse potest ; sed eam ex rationibus præmissis talem pronunciamus , quæ ut unus , Germano- scilicet Saxonicus populus , pure Germanum sanguinem , & Germanam fidem profitetur , quam in posterum quoque



DEO & CÆSARI dicavit. Cæteræ Nationes, quæ extra Civium numerum inveniuntur, quanquam in Articulis Regni, ad tempus tantum tolerari dicantur, tamen iis, & præcipue Vallachis, & Nobilitas & nos, qui illis, in operibus rusticis, tanquam instrumentis utimur, commode carere, certe non possumus.

Plura particularia, quæ vel ad Historiam, vel ad Jus Publicum pertinent, longum esset recensere. Manum igitur de tabula, dum præsentibus sumus contenti,



*Handwritten note in cursive script:*  
Königliche Bibliothek von der Fürstlichen, Sächsischen  
Landesbibliothek in Kabinbüchern, Ursprung und Ge-  
schichte, Hannover, 1696. 12.

*Handwritten mark:* WDA

*Handwritten mark:* M. 14







Ex



**KODAK Color Control Patches**

© The Tiffen Company, 2000

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

leg. 1.

Et facta  
labor.

